

1968

Aix - Tonitrus Imago

EX

SERTO NABERICO

A PHILOLOGIS BATAVIS COLLECTO

SEORSUM EXCUSUM.

Bibliothèque Maison de l'Orient



151511



Tonitrus imago.

SCRIPSIT

J. SIX.

Duo sunt fere anni cum tu, venerande magister, in viridi tua senectute, novas tibi et devias semitas secutus, hieroglyphorum lectio-
nem nobis exposuisti. Inter ineptas Horapollini-
nis nugas, ineptissimum tibi visum est et plane
absurdum quod de tonitrus imagine narrat his verbis: *Φωνὴν
δὲ μακρόθεν βουλόμενοι δηλῶσαι, ὃ καλεῖται παρ' Αἰγυπτίοις οὐαίέ,
ἀέρος Φωνὴν γράφουσι, τοῦτ' ἐστι βροντήν, ἣς οὐδὲν καταφθέγγει
μεῖζον ἢ δυναμικότερον.*

Credo tibi. Neque ego is sum qui, in sacris Aegyptiorum litteris versatus, Horapollinis errores explicare conaturus sim. Unum nego: tonitru depingi non posse. Si inter nos, sero natos, valere desiit, remota antiquitate valuit certe Hora-
tianum illud tritissimum:

pictoribus atque poetis
quid libet audendi semper fuit aequa potestas.
Rogas exempla? Non tibi Apellem ostendam, de quo Plinius¹⁾

1) N. H. XXXV. 96.

scribit: „pinxit et quae pingi non possunt: tonitrua, fulgetra, fulgura, quae Bronten, Astrapen, Ceraunobolian appellant”.

Verisimile enim, quid dico, valde probabile esse videtur nobilem illum pictorem non simplici quodam artificio tonitrus notionem spectatoribus obtulisse, sed allegoricis potius figuris, magis intelligentiae quam oculis obtulisse quae auribus tantum concipi possint.

Longius evocabo te, ad ultimas gentes, quae orientem spectant, ad Sinas volo et, qui vicinas insulas incolunt, Japanos quos vocant nostrates.

Illis tonitrus imago notissima. Linea est in se ipsam circumvoluta, sive rotunda seu quadrata. Aut singulae aut binae, ternae, plures in uno gyro componuntur. Triplex forma usitatissima est. Nec mirum, omnium optime volvendi notionem exprimit, quam in tonitrus fragore sentiunt inesse omnes, quod et alio non alieno modo significant Germani de tonantis dei carro fablantes.

Saepe in tectis pictae inveniuntur hae figurae, nisi me omnia fallunt, ut fulmina averruncent. Saepius tamen tympana ornant, nec mirum si deum fulminis ipsum in nubibus fingunt caelestia tympana eo modo picta pulsantem. Omnia haec, multo diffusius in docto commentario compluribus imaginibus illustrato exposuit Fridericus Hirth in studiis suis Sinensibus¹⁾.

Ars autem illa, et quae tota ex ea pendet Japanorum, vestigia permulta servat doctrinae graecae. Non tantum de ornamentis cogito, de maeandris, de flexis acanthis; non imprimis de diversis fabricis, ut de coloribus metallicis igne conflatis, quae omnia Persarum aut Arabum Indorumque ministerio cognovisse potuerunt, sed de altiore quadam disciplina, de optica,

2) Chinesische Studien von Friederich Hirth 1890. I. p. 231.

illam artem dico quae docet longinquas res primum parvas, deinde longinquieres minutiores facere, in qua arte non ulterius progressi erant quam antiqui Graeci et Romani usque dum nova et parum intellecta paecepta Japani a Batavis acceperunt, de optica paecepit illa, quae ostendit „catagrapha, hoc est obliquas imagines et varie formare voltus respicientis, suspicientis vel dispicientis”¹⁾ inventum nobile Cimonis Cleonaei, quo nullum fecundius unquam ad educationem picturae exstitit.

Qua via scientia illa tam late migraverit ignoramus. Hoc vidimus artem Graecorum aetate Polygnoti arti Japanorum viginti duobus saeculis posteriori natura non esse dissimilem, schemata et quod spiritum dicimus artis, affinia esse primus omnium vidit Edmondus Pottier et in elegantissima disquisitione exposuit²⁾.

Quae cum ita sint, rogare licet num forte fortuna Sinarum notatio nobis viam monstrare possit ad indagandam tonitrus apud antiquos imaginem, cuius adhuc nec vola nec vestigium apparuit.

Nota sunt in Lyciorum nummis signa, nondum explicata, e trinis, interdum e quaternis, binis, singulis partibus aduncis, ex anulo in medio posito nascentibus, composita, quae raro in gallorum aut monstrorum cervices mutantur³⁾.

Non minus nota est in Pamphylicis Pisidicis Atticis aliorumque populorum monumentis figura late dispersa, ex tribus femoribus cruribus pedibus humanis in unum coniunctis composita, triquetra aut potius triskeles hodie a viris doctis vocata. De utroque copiose egit olim Adolfus Holm in opusculo

1) Plin. N. H. XXXV. 56.

2) Gazette des Beaux Arts. 1890. II. p. 105—132 Grèce et Japon.

3) British Museum, Catalogue of Greek coins, Lycia etc. Tab. II—IX passim. Cervicibus ornata III. 1—4 et 18.

eruditionis pleno¹⁾. Signa ei lunae esse videntur, aliis solis. Alii aliter sentiunt. Discrepant omnes²⁾.

Inde ab Agathoclis tempore saepe haec tria genua flexa symbolum Siciliae fuerunt, praesertim Romanis, sed non ideo olim in antiquissimis Aspendi nummis cusa sunt, nec Pisistrati aetate in clipeis Atheniensium picta, neque ea re marmora Punica, credo, aut aes Celtibericum ornant.

Celeritatem, rotationem notant, et optime quidem notant. Ludit in hoc Dioscorides epigrammate huc primum a Goettlingio³⁾ allato:

Σᾶμα τὸδ' οὐχὶ μάταιον ἐπ' ἀσπίδι παῖς ὁ Πολύλλου
Θάλλος ἀπὸ Κρήτας, θοῦρος ἀνὴρ ἔθετο,
Γοργόνα τὰν λιθοεργὸν ὅμοι καὶ τριπλάκ γοῦνα
γραψάμενος. δηγίοις⁴⁾ τοῦτο δ' ἔοικε λέγειν·
„ἀσπίδος ὡς κατ' ἐμᾶς πάλλων δόρυ, μὴ κατίδης με
„ἢ Φεῦγε τριστοῖς τὸν ταχὺν ἄνδρα ποσίν”.

Coniungitur hic cum Gorgone, ut in nummis contemporaneis, quorum exempla in dissertatione de Gorgone collegi⁵⁾. Ibi quoque caput Gorgonis fulmen esse conatus sum demonstrare⁶⁾. Ex fumo ignem agnoscimus, e fragore fulmen. Quidni igitur figuræ illas, a Sinis docti, tonitrua cum fulminibus iuncta esse credamus?

Lyciorum Pamphyliorum Pisidarum mythologia minus nota est quam ut inde quidquam de vi eius signi extricare possumus. Apud Graecos, praeterquam in nummis, ubi omnia finguntur, praesertim in clipeis pingitur, ut Gorgonis caput, ut fulmen, ut alia. Tympana ita ornata adhuc desunt. Sed tym-

1) La triquetra nei Monumenti dell' Antichità, Rivista Sicula 1871.

2) Babelon, Les Perses Achéménides pp. xc, xci.

3) C. W. Göttling gesammelte Abhandlungen II. München 1853 p. 117—132 (Anth. P. VI 126, Anal. Br. I 498, Anth. Jacobs I 247).

4) Sic Touz pro δῆμις.

5) P. 75—77.

6) P. 91, 92. Fusius Roscher, Gorgonen et in lexico s. v. Gorgones.

pana picta praecipue in cultu Bacchico novimus, ubi tonitrua non video quid sibi velint.

Unum mihi videre video: in monumentis recentioribus Curetes clipeorum clangore uti ut Iovem nascentem abscondant; Corybantes tamen, qui ab antiquis poetis cum iis confunduntur, tympanorum inventores dici et in clipeo¹⁾ antiquissimo, in Iovis antro Dictaeo reperto, alatos deos esse caelatos, quos vix alias ac Curetes esse credideris, quorum uterque bina tympana feriat.

Testis nobis sit Euripides in Bacchis²⁾ haec canens:

ὦ θαλάμευμα Κουρῆ-
των ζάθεοι τε Κρήτας
Διογενέτορες ἔναυλοι,
ἔνθα τρικόρυθες ἄντροις
βυρσότονον κύκλωμα
τόδε μοι Κορύβαντες ηὔρον.

Monumentorum inopia hae coniecturae igitur incertae manent et diutius, ut vereor, manebunt. Hodie contentus ero si tibi persuasero ut fulminis ita tonitrus imaginem non solum depingi posse sed, re vera, a Sinis Iapanisque saepissime depingi et fortasse etiam Lyciis Graecisque et diversissimis antiquis gentibus non ignotam fuisse, sed potissimum si tu illa quae hic opinatus sum, accipere voles testimonium gratae beneficiorum memoriae et perennis amoris.

1) Museo Italiano di Antichità Classica Vol. II. Tav. I.

2) Vv. 120—125.

